



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Capvt CXXIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Episcopatum senex, & redierat in cellulam suā. Erat autem vir magnæ abstinentiæ, narrauitque nobis dicens: Cùm essem iunior, exiui de Sina, & abij in Ammoniacem, vt illic morarer; inueniq; ibi senem vestitum collobio de sibino. Senex autem vt vidit me, priusquam illum salutarem, ait mihi: Quid huc aduenisti, Zosime? Vade, non potes hic sedere. Existimans autem, quia cognouisset me, prostravi me ante illum dicens: Fac charitatem, pater. Vnde me nosti? Senex autem dixit mihi: Ante duos dies apparuit mihi quidam dicens: Ecce veniet ad te monachus quidam, nomine Zosimus. Non permittas eum hic manere. Volo enim Ecclesiam Babylonis, quæ in Aegypto est illi credere. Tacuitque senex, & dimisso me, abiit à me, quantum est iactus lapidis. Et cùm duas, horas in oratione compleisset, venit ad me, & osculans faciem meam ait mihi: Fili charissime, benè venisti. Deus enim te huc adduxit, vt commendes terræ corpus meum. Dixi autem ei: Quot annos in hoc loco habes, Abba? Dixit ad me: Quadraginta & quinque annos impleo. Et apparuit mihi facies eius tanquam ignis. Et ait mihi: Pax tibi, fili, & ora pro me. Et hæc dicens collocauit se ipsū, & requieuit. Ego autem, effossa humo, sepelivi eum, & post duos dies recessi glorificans Deum.

Vide quantam curam habeat Deus sepulchra servorum suorum. Igitur sepelire mortuos est opus ei placens.

CAPVT CXXIII.

Narrauit autem nobis & hoc senex, dicens Ante annos viginti duos ascendi in Porphoritem, volens illic morari, Accepi autem & discipulū meum Ioannem mecum. Cùm
ergo

ergo illuc venissemus, inuenimus duos Anachoretas, mansimusque prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata, nomine Paulus. Alter vero Melitinus, nomine Theodorus, ex monasterio fuit erat Abbatis Euthymij. Ferebant autem ¹ collobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic ferme duos annos, distabamusque ab inuicem quasi duobus stadijs. Die autem quadam cum sederet Ioannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens abij ad Anachoretas. Qui statim ut viderunt me turbatum, & afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi: Quid est, Abba Zosime? Mortuus est frater: Dico illis: Ita sanè mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra iacentem, dicunt mihi: Noli contristari, Abba Zosime. Adest diuinum adiutorium. Vocantesque fratrem dixerunt: Frater Ioannes, surge, quia senex te opus habet. Continuoque surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam, & inuenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro illam in duas partes diruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zozime, vade in Sina: Deus enim tibi committere vult Ecclesiam Babylonis. Continuo itaque recessimus nos. Cumque venissemus in Sina, post paucos dies Abbas misit me, & duos alios in ministerium in Alexandriam. Tenensque nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit Episcopos, vnum quidem Heliopolitani, alium Leontopoleos, me verò in Babyloniam misit.

¹ *Ecce vilitatem habitus antiquorum monachorum. Factum Pulchrum Abbatis Sergij Anachoreta.*